



Journal

1913/2000

North

Don't forget to
check the last page!

TK N. 61 14. 74 38

DISSERTATIO MEDICA

De

PULVERUM STERNU-
TATORIORUM

VERO USU ET ABUSU,

Quam

SUMMI NOMINIS AUSPICIIS,
SUB RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMI IUVENTUTIS PRINCIPIS
AC DOMINI,

DN. FRIDERICI WILHELMI,

ELECTORATUS BRANDENBURG.

HEREDE &c. &c.

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,

M. D. EJUSDEMQUE UT ET PHILOS. NAT. P. P.

h. t. DECANO,

PRÆCEPTORE AC PATRONO suo maxime suspiciendo,

Ad. D. XVIII. Septembr. A. MDCC.

Eruditorum examini submittit

A. & R.

FRIDERICUS CAMEL,

Argentoratensis.



HALÆ MAGDEBURGICÆ

Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.

VIRO
Nobilissimo, Amplissimo atque Con-
sultissimo
DN. JOH. PHILIPPO
BRAUNIO,
MAGISTRATUS ARGEN-
TINENSIS
XIIIvralis ORDINIS ASSESSORI
LONGE DIGNISSIMO,
Patrono Avog. suo omni honoris cultu
æternum prosequendo,

Specimen hoc Acade-
micum

In grati & observantisfimi animi tesseram
inscribere & sacrum facere voluit,
dedit

FRIDERICUS CAMEL,
Argentinensis.





DISPUTATIO MEDICA
DE USU ET ABUSU
PULVERUM STERNUTATORIORUM.

PRÆFATIO.



Uemadmodum Sapi-
entiae humanæ fundamentum at-
que initium sensus rectè dici pos-
sunt, adeo, ut illis in vigore atque
integritate constitutis mens nostra
functiones suas promptissime exe-
qui queat : ita nobis non exigua,
quoque incumbit necessitas o illos ipsos tanquam rationis
nostræ instrumentum curare ac colere, & quantum fie-
ri potest, in debito statu atque incolumitate servare, ut ta-
li cultura ad optimos mentis usus disponantur. Quo cir-
ca non incongrue illi faciunt, qui oculos frequenti tersio-
ne lemarum ac mucaginis per aquam frigidam tempore
matutino puros ac serenos servare allaborant, vel etiam
per spicillis ad diurnum visum illos præparant. Auditus
organum frequenter purgare instrumentis a cerumine
vulgaris etiam consuetudo est, ne forsan in gypseam du-
ritiem mora transiens aurium meatum ac gyros obstru-
endo auditui noceat. Organon gustûs quod Lingua con-

A

sti-

stituit, & oris elutiones cum aqua simplici factæ & calidæ jam usitatæ infusorum varii generis sorbillationes percommode abstergunt & mundant, utpote de nocte, in lingua obortus lentor papillares ejus tubulos obfidens calida sic aqua extergitur, ut non tantum ad meliorem gustum, sed & ciborum masticationem & faciliorem mictionem cum genuino suo succo solvente disponatur. Tactum, qui toto diffunditur corpore, frictionibus matutinis convenienter institutis curare utilissimum & à veteribus valde celebratum consilium est, quandoquidem hoc pacto discussa superflua humiditate spiritus segnescentes in motum concitantur, ut ad corporis & mentis exercitia, expeditius influant. Profecto autem nullius sensorii majorem hodie mortales habere solent curam quam narium, quem in finem non tantum excogitata fuerunt varia odorum oblectamenta quæ in balsamis solidis, liquidis, spirituosis, fumis ac pulveribus suavissimi odoris consistunt, quibus continuo nares deliniunt, sed & alia, nunc frequens ubivis ferme regnat nares purgandi ratio per singulares pulveres errhinos & sternutatorios ex tabaco variisq; speciebus odoratis & cephalicis confectos, quibus naribus attractis viscosum in narium cavernulis hærentem humorem colliquare ac deturbare conantur. Quemadmodum autem salubritate sua ac usu non caret dictum narium purgamentum, ita tamen tanta jam increvit intemperies, non dicam vesania, nonnullorum, ut mera consuetudine vel imitatione aut autoritate aliorum inducti tali pulvere nares perpetuo vexare & irritare videantur, ut etiam inter mutua colloquia, conventus ac coenam deesse aliquid humanitatis credatur, nisi quis pyxidem suam, quæ servuari pulvis ille solet, singulari officio ac inserviendi ejus sanitati studio alteri offerat ad

ad mucī officinam purgandam. Cū autem perversus talismodi abusus, dum singulis fere momentis naribus talismodi pulvis attrahitur, non parum damni ac nocu-
menti afferat ficiōris præsertim naturæ hominibus; Ita-
que constitui de legitimo horum pulverum usu nec non
prava illis abutendi ratione de præsentī verba facere, &
non inutilem hanc materiam paulò uberiori evolutione
pertractare. Divinum autem ante omnia Numen im-
ploro, ut ex alto gratiam suam ac benedictionem hisce,
nostris laboribus adspirare velit.

§. I.

UT autem eò feliciter in nostro instituto progredia-
mur & emolumenta ac damna dictōrum pulve-
rum ritè exponamus, utile ac è re fore judico ante
in Sternutationis naturam, materiam & modum
agendi errhinorum paulò penitius inquirere & ipsum
quoque locum, ex quo rivus ille mucidus derivatur ac
stillat, secundum anatomicorum recentiorum accuratas
observationes determinare ac perspicere. Nolumus au-
tem rebus maximè intenti litem movere de Sternutato-
rii nominis derivatione ac ortu, multò minus, an illud vo-
cabulum barbarissimum sapiat, ex criticis decidere, sed tan-
tum breviter strictimque illud in limine præmonere allu-
bescit, per pulveres sternutatorios nos intelligere tabaci
varii generis folia & radices aliasque vegetabilium speci-
es rite siccatas & præparatas inque formam pulveris re-
dactas, quæ naribus susceptæ inspiratione membranam
narium irritando spissum vel aqueum humorem evo-
cant, sive cum forti ac sonora aëris explosione, quo casu
vocari solent sternutatoria, sive sine illa, ubi errhinorum
nemine insigniuntur, utut sternutatoria græcis quoque

errhina veniant, meliori tamen vocabulo ptarmica designentur. De utrisque autem hic loci agere decrevimus, præsertim cum ptarmica pro diversa dispositione hominum facile in errhina & versa vice errhina in ptarmica degenerent.

§. II.

Primum omnium autem quò veritas dilucide appareat, constare debet, quænam pars corporis principaliter afficiatur ac patiatur in sternutationis actu, & ex quo loco insignis illa mucî quantitas, quæ mediante talismodi remedio extrahi solet, stillet ac derivetur. Magnam autem hac in re inter veres & recentiores passim deprehendimus dissensionem, dum plures ex veteribus actionem ac motionem ipsius cerebri esse sternutationem affirmant, quæ in consensum rapiat thoracem, sicuti quondam placuit Hippocrati & Aristoteli. Alii potius principaliter illâ actionem thoracis esse, quæ occasione irritationis factæ in naribus accidat, tuentur. Ita etiam circa partem, ex qua humor ille excrementitius effunditur, in diversas abeunt partes. Plerique ex veteribus cloacæ hujus originem esse cerebrum adstruunt, recentiores autem ex externis tantum capitis partibus materiam hanc fluere firmis ratiociniis avtopsiæ anatomicæ innixis comprobare satagunt. Nos non diutius refutationi veterum immorabimur neque sub examinis incudem etiam nonnullorum recentiorum placita revocabimus, sed brevissimis sententiam nostram exponimus, nempe sternutationem esse violentam actionem & motionem fluidi elastici tenuissimi, quod spirituum vulgari nomine venit, in nervis non tantum, qui interiora narium investiant sed & qui ad thoracem & intercostales musculos descendunt. Quæ motio impetuosa ac præternaturalis cum sit &

& cum magna constrictione partium nervearum, ac musculosarum conjuncta, hinc non ineptè à veteribus convulsio, sive etiam epilepsia parva, levis & particularis dicta est, præsertim ab *Avicenna* L. 3. c. 2. *Tract. 2.* Et tamen si etiam experientia doceat sternutationem sæpiusculè præcedere Epilepsiam, vel etiam illam sequi, sicuti id doctè inter alios notavit *Wedelius in tractatu de Medicamentorum facultatibus* p. 211. ut ex eo appareat magnam esse affinitatem ac convenientiam inter epilepsiam & sternutationem, illud tamen teneri meretur hanc esse utriusque differentiam, quòd convulsio in sternutatione sit magis extrinseca, sive extra cerebrum ejusque membranas, in epilepsia autem intra cerebrum, ubi dura mater principaliter violentissimà constrictione afficitur, sicque totum ferme corpus in consensum trahitur. Ex quibus patet sternutationis sedem non quidem cerebrum esse, attamen spiritus, qui nervos incolunt, principaliter esse affectos. Et inde jam clarum ac perspicuum fieri potest, quare à solo irregulari ac concitato spirituum motu in dispositis sternutamentum moveri possit. Ita curiosæ sunt observationes, quæ confirmant, nonnullos, quoties cum uxore rem habere gestirent, immediatè ante ceptum opus ter quaterq; sternutare coactos fuisse, qua de re legi meretur *Stalpartius van der Wiel observat. 6. part. prior. p. 44. it. Amatus Lusitanus Scholiis curation. 3. Cent. 4. fol. 370.*

§. III.

Cùm autem affectio sternutatio spirituum sit, qui primas in regenda tota machina tenent partes, & ex quorum constitutione boni vel pravi effectus in corpus redundant, hinc etiam à vetustissimis temporibus sternutatio actus boni & mali ominis signum fuit. Ita optimum

mum signum fuit & adhuc est reconvalescentiæ, quan-
 do ægotantes incipiunt sternutare, qui aliàs difficulter
 admodum id faciunt propter virium defectum sive spi-
 rituum non sufficientem influxum, unde vulgatum illud
 inter medicos Parisienses est: Sternuit, salva res est, & è
 nosocomio expelli debet, circa quam rem videatur *Mo-*
santius Briosius in Epistolis p. 204. Ita etiam *Ballonius ad Theo-*
phraſti Librum de Vertigine p. 9. vulgo, ait, è Xenodochiis
 jubent ægros exire, cum primum sternutant, quod bo-
 no id fiat omine; & quòd in limine sint sanitatis, quasi
 victa calore naturali morbifica materia sit cocta & mo-
 dificata. Ex adverso etiam observatum fuit, sternuta-
 tionem mali fuisse ominis, dum frequenter pestilentiae
 vel alium gravissimum morbum præcesserit. Ita *Thucydi-*
des Lib. de Bello Peloponnes. §. 131. fol. 180. pestilentis cujus-
 dam malignæque sternutationis meminit, in famosa il-
 la Atheniensium peste grassantis. *Polydorus Virgilius etiam*
Lib. 6. de invent. rerum cap. 2. itidem similis sternuta-
 tionis mentionem facit, quâ omnes, qui aliquoties ster-
 nutassent, paulò post extingverentur. Afferitque ex
 recentioribus *Diemerbroccius Lib. de Peste c. 15.* Tempore
 gravis illius pestis an. 1635. neminem se vidisse conva-
 lescere, qui durante morbo sternutasset sæpius. Exinde
 jam mos bene precandi sternutantibus, qui etiam diu
 ante Sospitatoris nostri ortum apud ethnicos & ante
 ipsum *Aristotelem* obtinuit ut *Famianus Strada Prolusio-*
num Academ. L. 3. refert, derivandus videtur. Invaluit
 etiam is mos & semper continuavit per omnes ferme
 nationes, etiam Turcicum regnum, (utut Angli hodie-
 num eum non observent,) ut ad sternutationem vel
 caput denudent, aut corpus inclinent, & sternutantes sa-
 lutent his verbis: *Deus te adjuvet*; ut minus etiam ur-
 ban-

banus ille habeatur, quisquis hoc, quicquid est humanitatis, negligat. vid. Laudatus *Briosius*.

§. IV.

Hiscæ jam missis res maximè poscere videtur, ut recipiamus nos ad examinandum & inquirendum, in quamnam corporis parte stationem potissimum habeat sternutatio, & unde oriatur mucosi istius & squalidi humoris ejection. Memorandum autem hic venit, perperam veteres dijudicasse ex cerebro illud, quod sternutamento ejicitur, ortum suum habere. At verò infelicitati temporum, quæ observationibus anatomicis circa corpora humana admodum sterilia fuerunt, id condonandum est, utpote manifestissimè hodierno tempore demonstrari potest, os ethmoides seu cribriforme foraminulis variis instructum, non aptum esse ad transmittendam vel emittendam quandam materiam fluidam, cum firmiter foramina, utut pervia, dura matre & nervorum ramulis per hanc transeuntibus occlusa sint, ut nullum fluidum, etiam tenuissimum, sicuti est spiritus vini rectificatissimus, ibi detentum ne ad minimam guttam transire & ad nares descendere possit. Denique & illud clarissimæ veritatis est, humorem talem, qui per sternutationem discutitur, intra duram matrem & cranium nunquam delitescere, neque talem reperiri in cerebri ventriculis, nec glandulam pituitariam suam, quam secernit, lympham huc amandare; ut adeo cloacæ hujus origo alio in loco quærenda sit. Deinceps & nunquam hoc demonstrari poterit, aërem neque odores, multò minus alia externa inspiratione immediate in cerebrum pervenire posse, hinc optimè *Galenus de simplicibus medicamentis* scribit: Errhina quæ mediante inspiratione attrahuntur inna-

res non, ut vulgaris est opinio, per os cribri forme ad cerebrum scandunt; Sic etiam mera persuasio & figmentum est, in illis, qui tabaci fumigationi perpetuo student, anteriora cerebri esse siccata & fumo nigro infecta, quod clarissimè variisque dissectionibus factis refutavit *Neander in Tabacologia* p. 228. & seqq.

§. V.

Quocirca rectissime cum recentioribus sternutationis subjectum & originem muci, qui naribus solet expurgari, nec non ipsius olfactus organon credimus esse, cavernosam interiorum narium structuram & osseam, concamerationem, quatenus nempe membrana non tantum ad sensum, sed & ad puitæ ejectionem disposita investitur. Operæ pretium autem duco hac occasione accuratius paulò, qua tamen fieri potest brevitate, internam narium mirabilem structuram perlustrare. Quod autem internam narium concamerationem spectat, deprehendimus varios sinus & cavitates osseas (2) gyros anfractuosa osseos triplices, qui scalæ, it: ossa turbinata, spongiosa vocantur, quorum fabricam & usum singulatim jam perspicere placet. Sinus autem illi rectè numerantur duodecim, nempe duò sphænoidei, qui intra os, quod Sphænoides dicitur, excavati sunt & sellæ equinæ subjacent. Ex istis per unum foramen humores delabuntur in binos meatus, qui à naribus ad fauces tendunt. Ethmoidei sex numerantur, qui frontalibus & sphænoideis intermedii sunt, in utroque latere tres, & hi tenuibus ossibus transversis & nonnihil obliquis ab invicem distincti sunt, quorum anteriores reliquis ampliores sunt, in quibus etiam foramina duo reperiuntur, quibus medianibus anterior hic sinus ethmoidæus cum maxillari com-

communicat. In osse frontis juxta nasi radicem duo quoque extant sinus dicti frontales, quorum unus sæpius altero amplior & distinctas etiam fovet cellulas. In illorum sinuum postica parte foramen est, quod narium posteriore partem respicit. In maxilla autem superiore duæ cavitates amplissimæ sunt, in quarum superna parte unum est foramen & brevis ductus, qui ex sinibus ethmoideis anterioribus humorem recipit.

§. VI.

Sinus hi dicti duodecim nec non os Vomeris omniaque ossa ad narium fabricam spectantia investuntur membrana, quæ propter officium suum dicitur pituitaria, hancque cum sinibus narium ex omnibus accuratissime descripsit *Vieussen in Neurologia c. 16. p. 187.* ubi asserit illam esse fungosam, spongiosam ac glandulosam quam plurimis diverſi generis valis instructam, quæ si digitis comprimatur, mucum statim emittat, sique in aquam immitatur, spongiæ ad instar intumescat. *Casseri* *Placentinus* illam dicit esse spongiosam sublividam & multum sanguineam, ita ut si digitis leviter fricetur, sanguinem effluere faciat. Et observavimus in nuperrima anatomia cadaveris masculini celebrata ab *Excellentissimo Dn. Præsidente* membranam hanc numerosissimis arteriis stipari, quæ injectione liquoris spissi rubicundi adhuc dum in capite fixato elegantissime apparent. In plexulos hepatis uterini plexibus non absimiles numerosas has arterias ex carotidum ramis externis enatas exire autor est idem *Vieussen l. c.* Hæc jam membrana, glandulis copiosissimis prædita, ex innumeris hisce arteriis partem aquosam, lymphæ nervorum ac cerebri elasticæ spirituosæ activitatem infringentem, instar cribri separat & per bre-

ves quosdam ductus, quos vasa mucifera laudatus Vieufsen nominat, & quorum aliqui setam admittunt, & circa posticam osfis vomeris & utriusque osfis palati partem apparent, expurgat & in nares ceu communem cloacam derivat. Hæc itaque membrana, quæ ab utroque osfis occipitis processu oritur lateque expanditur & internè œsophagi tunicæ continua est ac laryngis latera contingit, os vomeris, ossaque spongiosa & turbinata omnesque superius nominatos sinus duodecim obducit, est emunctorium principale ipsius muci, qui secernitur in naribus & sinubus, ubi mora nonnunquam nimium lentorem contrahit. Non autem ubique est æqualis crassitie vel conformationis, nam quæ posticæ utriusque osfis palati parti appenditur, ea crassior est & fere tota glandulosa & muciferis instructa vasis intertexta videtur. Illa autem membrana pituitosæ pars, quæ duodecim sinus investit, subalbida, mollis & spongiosa est, valde autem membranosa & magis tensa apparet illa, quæ ossibus sic dictis turbinatis infertitur; De his autem ossibus *Casseri* de fabrica nasali. L. 3. c. 16. scribit: In profundo narium recondita sunt ossicula illa oblonga spongiosa, quæ gradu scalæ videntur appellari, eò quod gradatim unum supra aliud positum sit. Turbinata hæc ossa dicuntur. Oriuntur ex parietibus narium ossibus inquam, cavitatem genarum internè sepiantibus, ubi initio tenui exorti statim crassescunt & turbinis formam assumunt, undique libera & nusquam nisi suo principio alligata, ita deorsum pendula dependent, ut intermediam quandam latebram inter os genæ conficiant. Et sane jucundum spectaculum est hæc ossicula, seu lamellas osseas, quæ neutiquam cartilagineæ sunt, in

va-

varios cylindros tubulosos & semicirculos osseos convolvi, ut quasi in diversos specus & labyrinthos, ubi alia in aliam tendit, dividi. Hæc singula spongiosa officula, singulæque eorum lamellæ & inde effictæ cavitates tunica etiam spongiosa sed magis nervea investiuntur. Hinc etiam hæc ipsa magis præ aliis membranæ partibus sensu exquisitori gaudet; sicuti enim tota membrana pituitaria per nares extensa sensum suum ac motum maxime nanciscitur non tam a primo, quam a secundo ramo quinti paris emissi, ita maximè hi nervi plurimas fibrillas per membranam ossa turbinata obducentem spargunt atque distribuunt, hinc merito huic tunicæ & dictæ ossium turbinatorum conformationi odoratus organi titulus tribuendus est, cum non peculiaris hujus tunicæ textura nervea tensa alium usum arguere videatur quàm ut tantum mucum separet: Quocirca *Bartolinus in tractatu de olfactus organo*, rectissimè scribit: quo major tunicæ narium est superficies, eò plura nervosa extrema in eam terminari possunt, pluresque aëris particulæ in eandem impingere, hinc etiam laudatus autor in venatico exquisitissimi sensûs cane inextricabilem & plane innumerabilem lamellarum in semicircularem figuram curvatarum progerminationem & circumvolutionem invenit, & animalia olfactu excellentia officula talia cucullum vel concham veneris figura referentia semper plura, longiora, magisque contorta possidere scribit.

§. VII.

Sententia itaque nostra est, tunicam hanc sensibilem ossa turbinata cum illorum cavitatibus investientem subiectum maximè esse odoratus, cujus organon in tunica

narium multiplicitate, dum ex angusto in augustum ipsa tendit, & in concavitate ossiculorum aërem odoriferum non tantum remorante sed & reverberante consistit. Et sicuti in hac tunica particulæ odoriferæ fluido respirationis impulsæ percipiuntur, ita etiam nullum dubium est, in eadem tunica varios pulveres vel species naribus susceptas ibi appulsas percipi sensumque irritatorium ab iisdem excitari, adeo ut idem subiectum odoratûs & sternutationis sit. Irritatâ autem illa tunica in consensum utique trahitur tota tunica narium pituitaria, propter eandem communionem nervorum, nec non continuitatem, ita, ut fibris ejus contractis & compressis succo ille, qui in eadem hæret, copiosè & ubertim ex cutiatur.

§. VIII.

Descripto jam sufficienter sternutationis organo & subiecto, illoque loco, è quo promanare crassus ille mucus solet, qui sternutatione ejicitur, restat jam ut etiam brevissimis naturam sternutationis sive motûs istius thoracis convulsivi cum violenta expiratione & aëris explosione vehemente juncti indolem perlustremus, & maximè, quomodo thorax & diaphragma ab irritatione narium tunicæ in consensum rapiantur. Notum autem jam est ex anatomicorum observationibus non tantum primum nervorum par, quod processum mammillarium nomine venit, verum etiam secundum ramum quinti paris nervosi intra cranium oriundi abire ad pituitariam membranam, maximè autem ad illam partem, quæ ossa turbinata sic dicta seu spongiosa investit, ubi non modo sensûs sive perceptionis odoriferarum atomorum, sed & omnis motûs & contractionis hujus membranæ causa existit. Quoniam autem par nervorum intercostalium quoad

quoad maximam suam portionem nervis quintæ conjugationis debetur, hinc facillimè ratio peti potest, quare irritatione facta molesta in naribus, quam semper subsequi solet influxus celerior nervei fluidi, in contensionem similemque actionem spiritus in nervis intercostalibus existentes rapiantur. Optimè hinc Vieussèn *Lib. 3. cap. 5. scribit*: In sternutatione statim ac nerveæ fibræ, quæ in membranam narium interiora occupantem desinunt, à re quavis acri vellicatæ corrugantur, illicò diaphragma propter altiore inspirationem à spiritu animali per nervos intercostales de vecto excitatur, deprimitur & subinde membranæ narium spasmo remittente, septum transversum superiora versus vehementer retractum violentam expirationem excitat. Ex quibus dictis & adductis patet diaphragma potius & principaliter sedem & subiectum sternutationis esse dicendum quàm ipsum caput, vel in eo contentum cerebrum, tametsi non negandum sit, ex influxu concitariori spirituum, qui occasione vellicationis ac morficationis tunicæ narium nerveæ contingit, violentum hunc thoracis motum dependere. Strepitus autè ille & aëris sonora explosio, in sternutationis actu quæ contingit, unice proficiscitur ab aëre per expirationem celerrimè extrachea in anfractuosos narium meatus & ibi contractione quasi angustatos vi transeunte & irruente, ubi reverberatione, allisione & fractione talem strepitum & sonitum edit, unde etiam sæpius fit, quando si cæterum primùm vehementer inspiratus maxima vi in expiratione expellitur, ut etiam cibus & potus in ore & faucibus hærens ejiciatur, lapilli in interiori aure hærentes, uti nuperrimum hîc exemplum docuit, expellantur, vel calculi ex renibus & ureteribus in vesicam deturbentur.

bentur, aut etiam fœtus propulsio ex utero promoveatur.

§. IX.

Hicce jam pertractatis ordo postulat, ut non tantum illa, quæ sternutationem excitare apta sunt perspiciamus, sed maximè etiam, quod nostræ est tractationis, eò dirigamus animum nostrum atque inquisitionem, quò illa ipsa quæ ingrediuntur & constituunt famosos illos pulveres; errhinos & ptarmicos, cognoscamus, & medicè examinemus. Et cum jam noster scopus saltim eò tendat, ut non tam illa, quæ intrinsicè in corpore ansam præbere possunt huic affectui, inquiramus, quàm potius externas causas scrutemur. Hinc omisissis illis, quæ utique uberiorem tractationem merentur, saltim jam occupati erimus circa causas externas. Brevibus autem asserimus; Omnia illa quæcunque membranam illam narium sensu exquisito pollentem, vellicare, irritare, morsicare, apta sunt, illa etiam sternutationem facili negotio movere, possunt. Ita sola titillatio cum penna vel cum papyro convoluta facta, sternutamentum prompte ciet. Et compertum est, irritari etiam nares & sternutationis motum produci per repentinum transitum è loco obscuro in admodum illustratum. Unde etiam rectè dixit *Aristoteles: Sternutat, qui sub solem se committit.* *Cl. Schneide-
rus tractatu de sternutatione* refert, concionatorem quendam se cognovisse, qui cum soli exponeretur, bis, ter vel etiam sæpius sternutare coactus fuerit, quod tamen tantummodo locum habet in subjectis sensibilibioribus. Ratio autem hujus effectus hæc est: radii solares penetrantissima sua actione ac motione aerem commovendo, ipsos etià spiritus tunicæ narium insidentes fortiter com-

movendo, ipsos etiam spiritus tunicae narium insidentes fortiter commovent; non secus ac videmus lucem solarem ob vehementissimam suam actionem oculis laborantibus non conferre, ita ut etiam solus aspectus lucis in ophthalmia causari vel augere eandem ob causam dolorem possit; siquidem nulla sensatio nulla perceptio in machina nostra microcosmica sine præcedente tactu vel tremula motione membranarum fit.

§. X.

Ut autem propius accedamus ad materiam & naturam illorū, quæ vel tantum pituitam e naribus evacuant vel cum aeris explosione illam educunt, dicimus: omnia ea esse indolis salino sulphureæ acris, quandoquidem non omnia salia, uti sunt neutra, media, salia etiam acida, tali facultate pollent, quippe quæ fixioris naturæ & spiculis crassioribus dotata minorem ingressum habent in tenuissimos fibrillarum membranacearum poros, sed requiruntur paulò subtiliora, qualià sunt sulphurea & acria, quæ motu intestino ætheris stipata longè penetrantiora sunt & intimioris admissionis, unde etiam videmus salia volatilia naribus indita promptè colliquare pituitam, immo sternutationem excitare. Quinimò admodum vero simile est, principium illud, quod in errhinis & sternutatoriis operatur, ad alkalinam potius quam acidam naturam accedere, præsertim cum acida enervent & notabiliter infringant illam vim teste experientia & antiquissimo authore *Plinio*, qui *hystor. nat. Lib. 23. cap. 1.* inquit: *Sternutamenta acetum olfactu cohibet.* Et cum omnia purgantia propter idem sal acre irritans subtile, volatile plus minus causticum, sint simul validiora sternutatoria & ipsorum vis purgans manifestò enervetur atq;

cicuretur salibus acidis, dum nempe hæc ipsa sal illud tenue volatile alkalinum figunt, & motum istum ætheris igneum sistunt, ita enim non inconvenienter argumentari licet eodem sale gaudere sternutatoria, quo ipsa purgantia. Accedit & illud, quod tabacus errhinorum & sternutatoriorum princeps sale volatili acri sulphureo copiosissimo polleat, qui intra assumptus ventriculi, œsophagi & intestinorum membranulas fortiter vellicando & vomitum & sedes violenter ciere solet, manifesto documento: non alium modum agendi sternutatoriorum quam emeticorum ac purgantium esse, qui versatur in, morificatione, insultu & rosione tunicarum nerveo glandularum. Deinceps elementum illud, quo agunt ptarmica & errhina, salinæ volatilis sulphureæ naturæ esse vel ex eo intelligi potest, quod pleræque herbæ cephalicæ quæ sale subtili volatili oleoso gaudent, cujus generis sunt nominatim origanum, ruta, flores anthos, majorana, thymus, serpillum, basilicum, semennasturtii, sinapi, coriandrum, cubebæ, vel recentes vel melius sicco modonaribus inditæ promptè sternutatorium vel tantum errhinum effectum exhibeant.

§. XI.

Non autem occupati erimus totum catalogum omnium errhinorum & sternutantium proponere, sive totam materiam errhinorum recensere, sed tantum animus est brevissimis exponere, ex quibus speciebus usitatissimi isti pulveres, qui naribus inspirantur & attrahuntur, evacuandi mucic causa componantur, sive quænam illorum ingredientia, quis modus præparandi sit, ut eo melius postea perspicere queamus, quid damni vel emolumentiafferre queat illorum rectus usus atque perversus
ab

abusus. Dixi autem superius, pulverum horum ptarmicorum princeps ingrediens esse ipsum tabacum seu herbam nicotianam; Postquam enim hujus herbæ maxima utilitas generi humano innotuit sub variis formis internæ & externæ usui humano illam adaptarunt, & cum nautæ ac milites, quibus initio frequentior fuit tabaci usus, experimento didicissent tabacum in pulverem redactum & naribus inspiratum esse ptarmicum, & hoc ipso exonerari caput utilitate optima, hic usus postea ad multas gentes & nationes pervenit, & primum ad Italos, apud quos talium pulverum usus est frequentissimus, postea ad Gallos & etiâ ipsos Germanos sese extendit, factû, ut tabacomania jam multi laborent, & ipsa consuetudo talem pulverem fecerit pene cum aere necessarium, ita plerisque, inutilis & superfluus imo noxius est. Multi recto ejus usu primo, deinde facta consuetudine sunt verba *Magneni de tabaco*, postea contracto habitu tantam hujus pulveris copiam absument, ut hominum noverim, qui die unico pulveris tabaci optimi uncias tres naso suo perdiderit. Sed opus jam est ut de præparatione maxime horum pulverum quædam edisseramus, & quibus in locis præparetur. Notum autem est, præparari maxima in copia Bononiæ, Trienti, Venetiis, Turin, unde etiam ad alias disfitas regiones affertur magno lucro mercatorum. Præparatur autem ita: Sumitur præstantissimus tabacus de Levante & ejus stipites ac cespites infunduntur aqua rosarum, postea siccantur & in minutissimum pulverem rediguntur, qui pulvis cum solutione tenui tragacanthæ miscetur, & in pastam redigitur, quæ postea per cribrum, quod ex tenuissimis funiculis ferreis compositum est angustissima foramina relinquens trahitur, ita sub specie tenuis-

simorum pilorum apparet, qui postea singulari enchiresi excipiuntur vase concavo magno & continua agitatione & succussione in globulos minutissimos rediguntur, germanicè *geförnter Toback* / qui postea oleo de cedro, vel jasmino, pergamotti svavi odore imbuitur, & talis ex Italia ad nos affertur. Turini flores aurantiorum exsiccatos it: flores rosmarini admiscere solent. Alius autem est modus præparandi hunc pulverem in Hispania; hic loci enim tenuissimum pollinem, qui infumum facile abir, redigitur. Nempe sumunt tabacum optimum de Brasilie, & in camera calefacta extremè illum siccant, ut inter manus teri possit, talem jam indunt duobus sacculis ex linteo subtili confectis, postea in alio conclavi puro vir, qui bene nares, oculos & os singulari adaptato instrumento munivit ac defendit, duos hos sacculos vehementissimè inter se concutit, ut tenuissimus pulvis sub forma fumi per porulos sacculi expellatur, qui deinde in conclavi excipitur, & ad usum colligitur, & hic jam propter tenuitatem suam inspiratione improvida facile ad ipsam laryngem atperamque arteriam transit, ibique irritatione facta tussim concitat. Præterea usitatus hoc tempore adhuc est alius, qui ex Portugallia ad nos affertur sub forma pulveris non adeò subtilis, coloris ex flavo viridescentis, & odorem habet, sicuti panis Westphalicus grossior, vulgò *Bonpour nickel* & præparatur ex foliis optimi nigritabaci priù maceratis in aqua rosarū, ut nimia acrimonia salino-sulphurea extrahatur, postea folia exsiccant, & pulverē ex ipsis faciunt, quem sine svaveolentia ut plurimum relinquunt.

§. XII.

Præter has præparationes simplices adhuc restarent

rent describendæ innumeræ magis compositæ, dum
 quivis fermè pharmacopola vel medicus gratus in
 quavis regione peculiarem excogitat compositionem, ut
 non tantum colore sed & odore ac consistentia pulveres
 hi inter sese admodum differant, ubi tamen plerumque
 manet basis tabacus, modo quod varias species cephalicas
 fragrantissimi odoris ad meliorem gratiam concilian-
 dum admisceant. Nostri officii erit probatissimas & val-
 de expertas & quas nos magnificimus tantummodo hoc
 loco insinuare, ut quivis habeat, quo casu necessitatis pro
 diversitate morborum & humanæ temperiei uti queat; In
 antecessum autem hic menere opus est, duo errhina elegantis-
 sima & præstantissimæ virtutis parum vel planè incognita
 magnificere Dn. Præsidentem, quorum usum etiam variis
 in affectibus magno cum fructu & capitis robore adhuc
 expertus est, horum primum est resina ligni gvajaci, non
 illa quæ spiritu vini rectificato ex rasura hujus ligni extra-
 hitur, sed quæ mediante coctione cum aqua tantum sim-
 plici elicitur, dum nempe in ipsa aqua per sufficiens tem-
 pus rasura coquitur, decoctum postea leni calore inspissatur
 ad siccitatem usque, sic emergit ptarmicum pul-
 cherrimum, quod sævavi balsamicum odore nares afficit &
 satis potenter pituitam colliquat. Alterum est benzoe in-
 flores resoluta, quando nempe hujus gummi optimi pulvis
 coquitur in aqua pluviali quæ identidem inspissatur, ita
 pulvis odoris sævavissimi ex splendentibus miculis &
 squamulis compositus conficitur, qui naribus attractus
 penetrantia sua eximie nares ad motum suscitatur, & densa-
 tum ibi humorem extergit. Cum aqua autem institui-
 tur dictorum remedium præparatio, quoniam hæc ex
 resinosis istis corporibus extrahit simul præter sul-

phureas, acutas, salinas, scindentes & pungentes partes, quæ hic maxime deiderantur.

§. XII.

Sed ut redeamus ad nostras quas laudamus & laudavimus formulas, hæc erit. Rec. sacchari optimi unciam semis, balsami apoplectici grana duodecim, florum benzoes, resinæ ligni guajaci ana grana decem, misce. Hic pulvis gratissimi est odoris & egregiè nervosas capitis partes solatur nec non pituitam satis efficaciter educit, hinc merito cunctis fermè errhinis est præferendus; præcipuè autem singularem opem spondet in capitis & actionum animalium torpore, vertigine, nimia somnolentia, decubitu humorum catarrhali ad dentes, ad aures, capitis gravativo dolore; egregiè quoque conducit pituitosis & qui caput imbecillum habent. II. Recipe pulveris tabaci, infusione aquæ rolarum prius mitigati, unciam semis, florum aurantiorum exsiccatum drachmas duas, olei florum aurantiorum optimi Italici guttas decem. Lenis operationis hic pulvis est & suavem odorem spirat. III. R. pulveris ligni aloes, succini pulverisati, tabaci ana drachmam unam, castorei grana decem, olei majoranæ guttas quatuor, Pulvis hic in dispositione ad apoplexiam, epilepsiam, paralyfin, vertiginem egregii usus est. IV. Recipe salis volatilis ammoniaci sicci drachmam unam, olei majoranæ guttas decem, misce. Hoc penetrantissimum est errhinum solo odore, vel melius pulvere ejus naribus attracto in deperdito odoratu ab humore crasso, copioso, pisso, frigido, quale quid accidit in coryza, nec non in naribus plane oclusis, item apoplectico, epileptico paroxysmo, nec non in affectibus soporosis efficacissimum. V. Recipe radice iridis florentinæ drachmam unam, flo-

florum balaustiorum, rosarum rubrarum, ana scrupulos duos, florum anthos lavendulæ drachmā semis, hellebori albi grana octo, moschi in spiritu rosarū soluti grana duo, pulvis exinde fit varii & grati coloris, & talis ex Turcia afferri solet, nec usu suo defraudandus; hoc saltem vitii habens, quod linteamina propter flores balaustiorū rubro colore inficiat. VI. Recipe florum liliorum convallium, majoranæ, pulveris tabaci ana drachmam unam, hellebori albi grana duodecim, olei majoranæ, cubearum ana guttas quatuor; pulvis hic si sternutatio movenda est, & pituita crassa educenda, naresque mucosæ obstruæ, in pituitosis & phlegmaticis egregiè suum facit officium. VII. Recipe radice valerianæ, seminis feniculi, pulveris tabaci ana drachmam unam, florum benzoës grana duodecim, olei cubearum, feniculi, majoranæ guttas duas, spiritus rosarum guttas duodecim, misce fiat pulvis, qui in affectibus oculorum, visus imbecillitate, nimiaque illorum serositate usum habet non contemnendum. VIII. Clarissimus *Lentilius in miscell. parte 2. pag. 564.* hunc pulverem magnificat in gravissimis capitis affectibus; Recipe olei succini scrupulum semis, lavendulæ, roris marini, salviæ, rutæ, spicæ ana guttas tres, balsami apoplectici grana octo, incorporentur cū saccharo canariensi finissimo ut fiat pulvis. Pulvis Mechoacanæ albæ cum oleo fragranti eximium quoque errhinum constituit, id quod ex Insula Malthæ adferri solet.

§. XIV.

Recensitis sic optimis, quæ usui servire possunt, errhinorum & ptarmicorum formulis, utile futurum judico, si de illorum usu & abusu etiam verba faciam, illumque rationibus & experientia munitus aperte ostendam

dam. In confesso autem est, omnino talismodi pulve-
res, si modus in hisce sit & prudenter applicentur, salubri-
tate ac fructu non carere, quandoquidem in dubium vo-
cari nequit, membranam illam narium, quæ in capite
tam late sese extendit, & tot anfructuosos ossium gy-
ros ac sinuosas cavitates obducit, eo officio fungi, ut vi-
scosam, mucidam ac serosam superfluum materiam ex
sanguine secernat, quo ipse purior, agilior, & ad fluidi
nervei ac cerebri elastici productionem aptior evadat
dum liberatus est ab ea materia, quæ ejus activitatem,
expansionem elasticam impedire ac retundere poterat.
Quinimo per solenne hoc narium emunctorium separa-
ta sic debite materia pituitosa, præsertim in illis, qui ejus
copia abundant, sanguis in progressu & circulo suo per
caput longè liberius ac minus impeditè circumvolvitur,
cum alias si obstructis naribus refertus ac onustus
talismodi lento humore sit, deprehendamus & gravita-
tem capitis cum dolore, auditus difficultatem, tinnitum
aurium, vertiginem, torporem actionum animalium, som-
nolentiam, exinde oriri. Quemadmodum itaque le-
gitimum exercitium actionum, quæ sanitati præsent, po-
tissimum fundatur in debitis secretionibus & excretioni-
bus: ita omnino medici opus atque intentio esse debet, si
secretiones hæc labascant, si secretoria & emunctoria o-
tiantur vel obstructa sint, convenientibus remediis, om-
nes secretiones sollicitare, procurare, obstructaq; dis-
solvere ac referare, cui fini etiam serviunt purgantia, dia-
phoretica, diuretica, expectorantia, apophlegmatizan-
tia, salivantia & hujus generis alia. Ex quo jam facile
quis intelligere potest, remedia, quæ nares incitant ad
excretionem muci, magnæ esse efficacix & insigni niti
fun-

fundamento in re medica, adeò ut illorum usus æstimandus meritò sit.

§. XV.

Cùm autem natura optima sit morborum medica-
trix & vias monstret, per quas duci inutilis humor de-
beat opportunissime, & medicina imitatrix naturæ sem-
per sit, hinc quoniam observamus naturam sæpius ipsã
sternutationem efficere & colluviem humorum seroso-
rum per nares educere insigni cum corporis levamine,
sicuti videmus in coryza: ita etiam arte procurare non-
nunquam licebit talem expurgationem seri effati, inuti-
lis, copiosi, præsertim si corpora fuerint pituitosa, si hu-
mores circa caput stagnant, gravitatem & dolorem pres-
sorium inducunt, & nares humidæ observantur. Maxi-
mè omnium autem tale excretionis genus moliri licet, si
homines certis anni temporibus afferti fuerint ipsius na-
turæ vigore talis modi excretioni sive profluvio seri per
nares, quale quid si à causis variis cohibetur, non potest
non magnam noxam inferre toti corpori in primis au-
tem capiti. Deinceps quando odoratus deperditus est
ob nimiam humiditatem circa hæc loca confluentem, u-
tiliter etiam applicantur pulveres errhini, qui non modo
ex siccandi, sed & tonum fibrillarum nervearum robo-
randi facultate pollent. Siquidem notum est uti omnes
reliquos sensus, sic etiam odoratum perfici in sensoriis,
quæ membranas habent nerveas, tensas, spiritu anima-
li turgidas, ut tremulum & undulatorium motum, qui ad
omnem perceptionem requiritur, externum objectum
efficere atque imprimere possit. Quando itaque
membranæ nimis sunt relaxatæ & copioso humido im-
butæ, nulla odorum perceptio, sicuti manifestò patet in
coryza, fieri potest, hanc autem humiditatem præter-

naturam congestam extergunt, absumunt pulveres tabacini speciebus & oleis cephalicis nervinis exaltati. Præterea per ipsas nares etiam oculi purgantur, dum serofitates ex oculorum glandulis plorantes per punctum lacrymale in cantho oculi situm singularemque tubulum interosseum, qui ad narium cavitatem tendit, ordinaria via descendunt, quemadmodum id apertissime videmus dum lacrymas copiosas emittimus, quod magna humiditas ex oculis dilabatur ad nares. Quod si itaque sive in puerili sive in senili ætate inque catarrhosis subjectis tonoglandularum ocularium nimis relaxato humiditates crassæ, limosæ, vel etiam salsæ, acres, copiosius in oculis influant, & non modo illorum serenitatem sed & visus aciem turbent, tunc pulverum, quos in superioribus laudavimus, moderatus usus summe erit proficiuus. Præterea & ipsa experientia testatur, in visu abolito principio guttæ serenæ tales pulveres errhinos cephalicos, minus autem violenter sternutationem moventes, hisce affectibus opitulari efficacissime, in specie verò quando incipiunt maculæ vel imagines minutæ inter cernendum ante oculos agitari, dicta remedia laudem merentur amplissimam. Confirmat hoc suo exemplo Cl. *Bartholinus* in *hist. anatom. cent. 5. observat. I. pag. 50.* postquam enim aliquamdiu inter legendum potissimum aut scribendum maculis vexatus fuerat, tandem ptarmico frequenter naribus immisso liberatum se Deo benedicente refert. Remedium autem hoc est. R. Tabaci opt. unciam unam Majoran. uncias duas Euphras. Sem. Fœniculi ana drachmā unam Agarici trochiscati scrupulum unum aqv. Fœniculi quant. suff. fiat pulvis subtilissimus.

§. XVI. Commendamus etiam dictorum laudatissimorum pulverum usum in aurium vitis, quando
nem-

nempe multæ serositates in capite collectæ ibi procumbunt & membranam tenuissimam nerveam, aurium labyrinthos obducentem nimium humectant & relaxant. Tali in casu serum viciatū ibi hærens per commode mediantibus errhinis vel sternutatoriis per ductus Eustachianos ex auribus ad palatum abeuntēs evacuatur. Quando coryza infestat homines & maximo natura molimine quærit ibi deponere sordes pituitosas, quibus sarcinata est, non inutilis etiam erit horum remediorum usus, opus tamen hic quadam circumspectione, in principio enim quando serum est nimis fluxile salsum & acre, & cum impetu fluit ad nares, abstinendum ab hisce est, major enim tunc affluxus excitabitur, in declinatione autem, quando serum incipit fieri spissum & in crassas lemas abire, quæ interiora sinuum occupant, tunc nostros pulveres adhibere summe proficuum erit. Addimus & hoc, quod errhina rite præparata & balsamicorum ac cephalicorum additione roborata, nasum a fœtore, a polypo aliisque concretionibus squalidis, nec non a malignis exulcerationibus præservare possint. Compertum enim in praxi medica est, qua ratione serum malignis causticis salibus in graviore scorbuto vel lue venerea infectum, ad has partes procumbat, illasque propter teneritudinem suam corrodāt penitusque exedat & fœdum ac incurabile ulcus producat, quod hisce remediis etiam potest averti, partim dum ejusmodi feri maligni ulterior stasis ac mora, qua semper majorem corrosivitatem induit, impeditur, partim etiam quod balsamicis speciebus putredo præcaveatur. Tandem etiam illud insinuare hic licebit, ad memoriam & prudentiam hominis, quod quidem paradoxon videtur, conferre temperatum nostrorum pulverum usum. Qemadmodum enim cerebrum nimia hu-

miditate obsessum plane ineptum est ad actiones ingenii & memoriae exequendas, dum idearum vestigia difficili negotio in fibrillas ejus imprimi nec diutius detineri possunt &c. ita multò magis spiritus torpidi & segnes fiunt, quando sanguis vehit serum exsuperans; unde exercitium judicii ac promptitudinis ad ratiocinandum, quod in spirituum debita agilitate consistit, plane vacillat & imminuitur. Etenim non incongruè dictum a sapientissimis veterum cerebrum sic cum esse sapientissimum, & communi proverbio, prudentes emunctiores, sive emunctæ naribus homines ob eandem rationem saluantur. Ex quibus liquido constat, apud pituitosos & illos, qui multum humidi generant, & cerebrum laxius ac mollius habent, ad actiones ingenii excitandas non minimam opem ferre & spondere pulverum talium exsiccantium & spiritus serenantium usum. Et quamvis non immediate ex ipso cerebro educatur superflua serositas, e pituitaria tamen tunica, antequam ad ipsius cerebri interiora cum sanguine ascendit, illud ipsum contingit. Tandem curiosum est quoque, quòd Welschius in *syllog. curat. obs.* 12. scribat podagricum ex consilio Ulrici Ducis Würtembergici intra singula decennia semel majorana cum origano naribus indita magnam muci & pituitæ copiam extraxisse, nec unquam podagram amplius sensisse.

§. XVII. Sed filum dissertationis nostræ ad horum remediorum abusum nos ducit, qui latissime patet, tantus enim ille hodierno tempore est, ut vix quenquam videas, qui etiam moratioribus & prudentioribus accenseri gestit, qui ne minimo quidem temporis intervallo carere possit talismodi pulverum inspiratione, & non refertam hisce pyxidem semper pera sua circumferat, quo brevissimis intervallis semper nares replet & aliis etiam

urbanitatis causa offert. De tali autem perversa consuetudine nihil boni expectari posse facile quis agnoscat. Damnum autem quod tales pulveres inferunt, differt, maxime prout ingredientia varia sunt. Si enim ex vehementibus sternutantibus compositi fuerint, & ita creberrime usurpantur, non possunt non gravissima mala inde sequi. Hujus rei *Theodor. Kerckringius observatione anatom. c. 2.* flebile memorat exemplum cujusdam rustici, quem intervectores navis Harlema Amstelodamum vehebant, quique circumforanei cujusdam persuasu ejusmodi pulveris periculum faciebat, quo tam vehementer sternutare primum, deinde & tantum emittere sanguinis per narium coepit, ut tanquam mortuus humi procumberet, ac portatus Amstelodamum aliquamdiu ibi remanere necesse habuerit. Ita etiam guttam serenam sternutatoriorum intempestivo usu excitatam fuisse, ex observatione *Guilielmi Fabricii cent. 1. observat. 24. Plateri L. 1. praxeos. p. 239.* cognitum habemus. Denique experientia testatur in capitis gravativo dolore, vel nimia gravedine sternutatoria adhibita Epilepsiam vel etiam Apoplexiam excitasse. Videantur *Rhod. hianalesta ad Septalium librum §. 17. p. 229.* It. *Nymannus de Apoplexia c. 46.*

§. XVIII. Noster autem scopus præcipuus hic est, ut qualem noxam afferre possint tabacini hi pulveres improvide & continuo inspirati, videamus. Primum autem dicimus odoratum illos ipsos abolere posse. Sicuti enim nimia humiditas odorum perceptioni officit, ita etiam nimia siccitas membranarum nervique odoratorii odoratum tollere potest. Hinc *Simon Pauli Tractatu de abusu Tabaci ac Thee* periculosum esse scribit assuescere minutatim contriti tabaci usui, quoniam sæpe patuit, eos, qui eodem abundanter usi sunt, odoris privatos fuisse tono. Membra-

næ enim narium nimio horum usu, præsertim in fici-
bus subjectis, callescunt & duriores evadunt, ut nulla vel-
licatio amplius sensum efficere possit. Præterea dum in-
desinenter sic & excessive nares pulveribus hæc vexan-
tur & capsulæ satis capaces de die evacuantur, continua
sic vellicatione facta in subjectis pituitosis & serosis, præ-
sertim si alvus non suum faciat officium, attrahuntur ad
nares & caput copiosissimæ serositates, ut deinde consue-
tam viam ibi facile affectent, & cerebri vasa ac tunicas
narium humore tali infarciant, unde & vocis claritas pe-
rit, dum narium meatus squalore turgidi angustiores fa-
cti fuerint, ut ær in voce, quod necessarium tamen est
ad gratam & claram loquelam, libere non possit transire;
hinc dicitur, *sie reden durch die Nase*/ deinde & tanta
seri copiosi tali modo colluvies circa caput collecta ad
fornolentiam, torporem & comatosos affectus fene-
stram aperire potest. Memorabilia sunt bina exempla,
quæ *Josephus Lanzanus in miscellaneis nat. curios. Dec. I. an.*
2. obs. §. 131. adducit, primum scil. de cive Ferrariensi qui
ex nimia quantitate pulveris nicotiani assumpta coma fo-
rnolentum contraxit tam potens, ut neque ab accla-
mantibus domesticis, neque ab alio remedio expergisci
potuerit, sed in cubili sedens stupidus omnino ac immo-
tus manserit, donec tandem septima die extinctus sit. Al-
terum de quodam satellite est, ob continuam tabaci pul-
veris assumptionem, ex phrenitide misere interemto.
Notatu digna hoc loco etiam est historia quam commu-
nicat *Wagnerus in miscellaneis nat. curios. an. 2. obs. 26.*
nempe virum quendam literatum ex abusu pulveris ster-
nutorii ex floribus liliorum convallium, majorana &c.
confectum, aura intra aures abscondita, ita commouisse
membranam tympani, ut nimirum in aure dextra ista di-
la-

latata aut disrupta penitus auditum ex ea parte sustulerit. Spectat huc egregius locus ex *Mercuriali de aurium affectibus* c. 4. De sternutatoriis notate, nisi caput exquisitè purgatum sit, nunquam adhibenda esse; quia maximè concutiuntur aures; nam dum emunguntur nares, semper aures correspondent: quod si caput fuerit repletum, ex hac concussione trahitur nova materià ad aures, & ita malum augetur.

§. XIX. Multo minus autem illis utiles sunt talium pulverum attractiones, qui narium hæmorrhagiæ assueti sunt, utpote hisce non tantum sanguinis largior fit profusio, sed natura etiam crebriores talismodi hæmorrhagias intendit. Tandem & illud adjiciendum est, detracto sic in nimia quantitate sero per hoc emuntorium in cholericis & siccioribus deficit ejus, ubi tamen necessaria est, excretio in glandulis palatinis & salivalibus; Cum autem saliva secundum nostram sententiam genuinum sit alimentorum solvens, quo ipsorum nexus intime discerpitur, hinc facile patet, ex salivæ defectu digestionis vigorem labefactari & ad generationem cruditatum causam suppeditari posse amplissimam. Nocent autem illis maxime qui ebrii sunt & vino ad ebrietatem usque se obruerunt, præsertim si sternutatoria valida hisce pulveribus admixta fuerint. Ita *Thiermairius* L. 2. c. 9, fol. 133. se expertum ait, quendam potui valde deditum crebris sternutationibus valde commotis capitis humoribus, atque ipso vehementer concusso cerebro, depressoque in Apoplexiam incidisse. Postremo egregiam observationem de incommodis, quæ sternutamentum secuta fuerunt, affert *Hildanus Cent. IV. observat. XIII.* nempe An. 1611. Juvenem quendam Rutgerum Gummersbachium, robustum, & optimo corporis habitu præditum,

tum, Colonia cognovit familiariter. Ille cum catarrho ad dentes defluente vexaretur, empirici & circumforanei consilium, auxiliumque implorat. Numerata pecunia curationem aggreditur, & nullo prius exhibito medicamento purgante, naribus pulverem ex radicibus, pipere, euphorbio, & similibus calamo inspirat, & bacillo ex utraque parte bifurcato inter dentes posito, sternutamenta provocat, & pituitatem per os & nares extrahit & quidem copiose. Sed quid fit? eadem die subsequens est tinnitus aurium molestus & dolorosus. Porro dolor iste cum per se paulatim remississet & materia ad nares defluxisset, ichor emanare cepit, atque per menses aliquot inde effluxit. Tandem odoratus ita abolitus fuit, ut ab eo tempore, sive snavissimi, sive ingratiissimi odores fuerint, eos tamen percipere aut discernere potens non sit.

§. XX. Pro coronidis loco etiam adjicienda sunt quaedam regulæ horum pulverum usum varie determinantes. I. Plerhorici, alvo adstricta laborantes, hypochondriaci ab effrenato hujus usu abstineant, ita Sicciores, senes, illis autem commode uti poterunt pituitosi. II. Noxius etiam ejus est usus statim a cibo, consultius est si homo jejunos illis utatur. III. Abstinentum etiam ab hisce pulveribus in oculorum defluxionibus calidis, ne major concitetur defluxio, ita ubi nares hæmorrhagia tentantur, quia ea magis irritat, neque locus est illorum, ubi in naribus existit ulcus. IV. Quibus hic pulvis est inassuetus & caput plurimo humore grave est, tunc facile sternutationem concitat, & sic motu humorum importuno ad caput gravem inducit destillationem. V. Si sternutatio crebra & frequens oritur, loco auxilii potest esse firma compressio narium circa angulos oculorum, protinus enim hoc pacto impeditur sternutatio & ratio est, non quod descensus lymphæ lacrymalis ad nares inhibeatur, sicuti nonnullis placet, sed quod ramus nervi quintæ conjugationis, qui abit ad nares, per rimam orbitæ oculi prius egrediatur, & postea per os orbitæ interiorius per sinus ethmoidæos & ossa cribiformia demum redeat ad nares. Hic si comprimitur, influxus spirituum qui expansivum elasticum hunc motum efficiunt, quodammodo impeditur. Sed hæc de usu & abusu horum pulverum jam sufficient, & gratias Deo humillimas pro gratia sua & assistentia persolvimus.

HAM
X196

J 700
CIB 1d
1-5122

